habet progressus, nec nisi longo post tempore nascitur. Est igitur, cur prudens animarum Rector vehementius pertimescat, ne abortiones tantum præpropera illa festinatione procurent: est, cur vereatur, ne quandoque à Deo arguatur, quod in spirituali animarum generatione eo modo se gesserit ac corporis mater, quæ, ut primum prægnantem se sentiat, fœtum excutere conatur, quo citius vitæ ac lucis particeps fiat, naturalique custodia liberetur. Sic prorsus nonnulli Sacerdotes sibi adversus peccatores benigni videntur, si eis præcipiti absolutione vincula relaxent, eosque per Sacramenta quasi in lucem edere properarint: nec attendunt, inconsultæ illius matris instar, primam se in ipsis exorientis vitæ scintillam obruere; qui si gratiæ solitum cursum tenuissent, eosque via ac ratione ab Evangelio præscripta, hoc est, precibus, jejuniis, eleemosynis, aliisque piis operibus ad perfectiora pœnitentiæ studia paulatim exevisset, procedente tempore ad veram eos ac solidam conversionem perducere potuissent. Sed præstat, ut auscultemus S. Thomam, qui dispositiones ad gratiam sanctificantem, seu veram cordis conversionem juxta usitatum seu ordinarium cursum nonnisi per tempus in animum à Deo immitti diserte asserit, & subitas illas conversiones miraculis accenset. *Contingit*, inquit Angelicus ille Doctor 1. 2. quæst. 112. art. 2. ad 2. *quandoque, quod Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum, & talis præparatio præcedit gratiam. Sed quandoque statim perfecte movet ipsum ad bonum, & subito gratiam homo accipit, secundum illud Joannis cap. 6. Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me. Et ita contigit Paulo, qui subito cum esset in progressu peccati, perfecte motum est cor ejus à Deo audiendo, addiscendo, & veniendo, & ideo subito est gratiam consecutus.* Et ibidem quæst. 113. art. 10. in quo quærit, *utrum justificatio impii sit miraculosa?* inquit: *Est communis & consuetus cursus justificationis, ut Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum: primo quidem conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectam deveniat: quia charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, sicut Augustinus dicit. Quandoque vero tam vehementer Deus animum movet, ut statim quamdam perfectionem justitiæ assequatur, (sicut fuit in conversione Pauli) adhibita etiam exterius miraculosa prostratione: & ideo conversio Pauli tanquam miraculosa in Ecclesia commemoratur celebriter.* Hanc eximiam S. Thomæ doctrinam, si tantisper expendere haud graveris, facile intelliges, quid sentiendum sit de præfestinatis illis gravissimorum Peccatorum conversionibus, & quam necessario in dispensandis Christi Mysteriis hæc adhibenda sit cautio, iis nimirum absolutionem procrastinare, & sacram Communionem denegare, qui iteratis lapsibus firmum sibi vitæ in melius commutandæ propositum non adesse fidem faciunt, falsoque putant, se brevi aliquot horarum spatio à flagitiosa vita ad veram & sinceram cordis conversionem pervenire posse. Non eo tamen hæc dico, quasi totam pristinæ Ecclesiæ severitatem censeam revocandam. Hoc unum tantum affirmo, severam, nimiumque rigidam dici non debere hanc praxim, quæ per duodecim Ecclesiæ sæcula viguit, quæque etiamnum, teste S. Carolo *Borromæo* Act. part. 4. Instruct. Conf. pag. 767. securam inveteratis peccatoribus indicat viam, qua ad cognitionem, dolorem & sinceram Peccatorum detestationem perduci possint. Sæpe ipse audivi egregios Concionatores gravitet & merito conquerentes, quod deploratis Peccatoribus scatet & premitur Orbis Christianus, quod omnes sub Paschatis tempus peccata confitentur, sed Festo peracto ad vomitum redeunt, nullaque prorsus in ipsis mutatæ in melius vitæ vestigia comparent. Hoc unum huic gliscenti malo remedium, hæc una omnis emendandæ Christianorum vitæ certissima via est, firmiter Sacerdotum ad ejusmodi peccatores à sacris Mysteriis, quibus se indignos præbent, removendos, donec resipuerint, & sedulam ad vitæ correctionem operam contulerint.

D. Lubentissimè nunc Palinodiam decini & Moralem doctrinam, quæ antehac duriot, rigidior mihi videbatur, de removendis scilicet à sacris Mysteriis peccatoribus, qui per multos annos in eadem scelera prolapsi existimant, si post unam aut alteram horam ad percipiendam absolutionem & sacram Communionem esse satis superque præparatos, obviis, ut ajunt, ulnis excipio, eique utroque pollice subscribo, maximè cum utilissimum suppeditet remedium adversus iteratos lapsus, quod ni adhibeatur, peccatores, ut optime observasti, statim redeunt ad vomitum, sicque eorum emendandæ vitæ omnis via eripitur.

Finis Tomi Tertii.

HISTORIA ECCLESIASTICA, VARIIS COLLOQUIIS DIGESTA,

UBI

PRO THEOLOGIÆ CANDIDATIS *RES PRÆCIPUÆ, NON SOLUM AD Historiam, sed etiam ad Dogmata, Criticam, Chronologiam & Ecclesiæ Disciplinam pertinentes, per breves Interrogationes, & Responsiones perstringuntur, & in præclaro ordine collocantur.*

TOMUS QUARTUS,

COMPLECTENS

TRIA ECCLESIÆ SÆCULA,
DECIMUM, UNDECIMUM ET DUODECIMUM,

PARS PRIMA,

Continens Decimum, & Undecimum:

AUCTORE

FR. IGNATIO HYACINTHO
AMAT DE GRAVESON,
Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore, & Collegii Casanatensis
Theologo, Ord. Fratrum Præd.

EDITIO IN GERMANIA SECUNDA.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

Augustæ Vindelicorum & Græcii,
Sumptibus Fratrum VEITH, Anno MDCCXXVII.